

gravissime, quia ut cit. loco ait apost. *Qui resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*. Damnationem vero multiplicem. Primo, perturbationem et pavorem perpetuum in conscientia, quæ semper eis præ sagit, non fore impune suum peccatum. Quemadmodum enim qui superiorum suorum nutibus ducuntur, placide et quasi dormientes sub alieno vehuntur regimine; ita e contra qui extra obedientiam et directionem sui rectoris sunt, jactantur in tempestate, navarcho destituti, cujus onus in proprium dorsum transtulerunt. Servi fugitivi sunt, nullo loco tuti aut quieti. Ob hanc causam Achab rex post devictum insigni victoria Benadad in Syria regem rediens domum venit furibundus in Samariam, qui lætus et hilari vultu redire debuit, ut magis eum victum quam victorem existimares; quia nimirum tunc redargutus erat a propheta de inobedientia, quia contra Dei mandatum dimiserat Benadadum a se captum, et quia prophetam redarguentem contempsit, III. Reg. XX. Hic vermis illum rosit, et pene ad insaniam redegit.

Secundo, damnationem temporalem. Talibus enim vicissim rebellantur creaturæ. *Ideo inferiora nostra nobis non odediunt, quia nos Deo vel illi, qui loco ejus est, non obedimus*, ait S. Gregorius. Sicut e contra. *Si voluntati ejus obtemperes, si legem ejus sequaris, ipsa tibi elementa etiam contra naturam suam servire compellet*, ait Origenes. Obedientem voci S. Benedicti abbatis suis Maurum gestavit fluvius, donec extraheret Placidum: e contra vero mare noluit sustinere inobedientem Jonam, fugientem a facie Domini, Jon. I. Cælum non sustinuit rebelles angelos, sed evomuit et ejecit eos velut fulmina. Terra non sustinuit rebelles illos Corem, Dathan et Abiron, ut diximus, sed dirupta subter eis, vivos absorbit.

Unde horum sectatoribus minatur Judas apostolus: *Væ illis, qui in contradictione Core abierunt*. Sane in ss. litteris punitum semper legimus fuisse hoc peccatum etiam pœna temporali, uti in Absalone, qui quod patri rebellasset, ex arbore pendulus inter cælum et terram, quasi neutram tangere dignus, confixus tribus jaculis periit, II. Reg. XVIII. Deinde, in Hebræis, uti Num. XI. ubi murmurantes contra Moysen plaga ignis consumpti sunt, Num. XIV. ubi jam vicini terræ promissæ reducti sunt in asperissimam solitudinem, in eaque detenti per annos triginta octo in pœnam murmuris sui contra Moysen et Deum: omnes item, præter Josue et Caleb, e Palæstinæ ingressu exclusi, Num. XXI. ubi serpentes igniti punierunt eos, qui acuerant linguas suas sicut serpentis in Deum et Moysen. Ubi observat D. Thomas Deum atrocius animad-

vertisse in obtrectatores suorum præpositorum quam in ipso vituli aurei adoratores. Istos enim satis habuit gladio oleisci, illos ignis cœlitus, terra funditus, vivos, videntes devoravit, ut nimirum intelligeremus, quam graviter Deus injuriam, quæ vicariis ejus infertur, accipiat. Quot hujus rei exempla? Nonne seditiosi illi rustici in bello Schmalcaldico ad centena milia periere anno 1525? Nonne in Austria, non multis abhinc annis rustici rebelles partim in contos acti, partim auribus et naribus truncati sunt? Nonne ejusdem farinae Bohemi nuper, et nuperrime incolæ supra Anasum victi, necati et spoliati sunt? Neque injuria, seimus enim Deut. XVII. morti addici eum qui sacerdotis imperio non obedierit. Similiter Jos. I. dictum esse: *Qui contradixerit ori tuo et non obedierit cunctis sermonibus tuis, quos præceperis eis, moriatur*. Et hanc pœnam sibi ipsis constituerunt ibi Hebræi, utpote æquissimam et juri naturali convenientissimam. Qui Moyses violant imperium, ii fere non a Moyse, sed a Deo semper puniti fuere. Hi vero adversus seipsos decernunt pœnam, etiamsi Deus non puniret: nec qualemcumque, sed gravissimam, mortis supplicium.

Denique, damnationem etiam æternam sibi acquirunt. Hic fructus, hæc messis est tam operosæ, et amarulentæ rebellionis.

Ergo quia supremus noster pastor Christus, pastor est bonus, simus nos oves bonæ. Nemo in suo grege toleraret ovem malam, morbidam, vel scabiosam, nemo in domo servum malum, nemo in ore dentem malum seu afflictum. Et cur nos patiemur animas nostras malas, rebelles et refractarias? Simus igitur oves, non arietantes capri, ne in die illa segregati ab ovibus Christi colloquemur inter hædos, quod avertat benignissimus Deus.

### CONCIO III.

PRINCIPUM ET MAGISTRATUM PRÆCIPUÆ VIRTUTES.

I. Religio et pietas. — II. Humilitas. — III. Prudentia. — IV. Justitia. — V. Fortitudo. — VI. Mansuetudo et affabilitas.

#### THEMA.

*Ego sum pastor bonus*, Joan. X.

Quam magnum est Dei beneficium, pastor bonus, rex bonus, magistratus bonus; tam grande est supplicium, pastor malus, rex malus, magistratus malus. Hinc Deus puniturus Israeliticum populum improbis pastoribus ob illius peccata, præcipit Zachariæ, c. XI. ut assumat personam pastoris improbi et stulti: (*Sume tibi vasa pastoris stulti*) populo repræsen-

tet ac prænuntiet damna, quæ accepturus erat a malis suis pastoribus. Quod idem fere Christus facit in hodierno evangelio, cum pastorem malum mercenarii veste induit. Sed et pastorem bonum induit vasis suis, quando se in exemplum pastoribus proponit dicens: *Ego sum pastor bonus*. Dimisso igitur pastore malo, contemplerur bonum, indutum vasis, hoc est, vestibus et instrumentis suis.

Religio et pietas. Hanc in primis colere principes ac rectores debent. Primo, quia majora beneficia a Deo acceperunt, quam plebei, imperium, gloriam, honorem, divitias, delicias, omnisque generis commoditates. Hinc Nathan ex ore Dei exprobat Davidi lapsu in adulterium, dignitatem regiam ei collatam aliaque beneficia collata: *Ego unxi te regem super Israel*, inquit, *et ego erui te de manu Saul, et dedi tibi domum domini tui, etc.* II. Reg. XII. q. d. debebas ergo præ cæteris omnibus colere, et timere Deum.

Secundo, quia in periculosiori, statu sunt, in quo facile labentur, in omnis generis vitia, nisi Deum impense timeant et colant, quo mereantur ab eo protegi et dirigi. Hinc Deut. XVII. jubetur rex describere sibi Deuteronomium, et legere illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum. Et IV. Reg. XI. ejus traditione inaugurantur. Hinc David, Constantinus Magnus, Carolus Magnus, Theodosius, Justinus, imp. et quicumque Dei eximii cultores fuerunt, in omnibus prosperati sunt. Unde Constantinus imp. dicebat: *Romani imperii dignitas et amplitudo fontem atque radicem habet veram pietatem*. Contra qui Dei cultum abjecerunt, cito contriti sunt, uti Jechonias, qui tribus tantum mensibus regnavit, et idecirco *vas fœtile* vocatur, Jer. XXII. ut ibi Corn. a Lap.

Tertio, quia hic est optimus et securissimus modus continendi in obedientia subditos. Habebit devotos sibi subditos, qui devotus fuerit Deo. Multi multa excogitarunt, ut morigeros haberent subditos. Alii largitionibus eos sibi devinciebant, ut hodie Turcarum imperatores Janzaros suos; alii affabilitate, ut Alexander Magnus; alii indulgentia et impunitate; alii crudelitate et tyrannide, ut is qui dicebat: *Oderint, dum metuant*, apud Ciceronem Phil. I. alii gratificando votis etiam, iniquis civium, uti Herodes, qui in gratiam Judæorum occidit Jacobum. Sed optima et præsentissima ratio est, timor ac cultus Dei; tales fovet Deus et reddit charos subditos, qui facile obediunt, si intelligant se servire pio principi, metuuntque offendere illum, qui Deo cordi est. Ut enim corpora inferiora motui cœlestium sphaerarum propter naturæ nobilitatem parent; ita libenter inferior-

res se principi subjiunt, quem pietatis et virtutum radiis micantem vident. Itaque pastor hominum sæpissime, si non quotidie, missam audiat; in festis celebrioribus expurget animum suum per s. exomologesim et muniat s. synaxi, etc. publicis precibus aliisque devotionis actibus intersit, præsertim quando religio contra hæreticos defendenda est, uti fecit Franciscus I. Gallæ rex, qui contra Sacramentarios sui temporis, publicæ longissimæque circumgestationi s. eucharistiæ pedestris et nudo semper capite, quamvis æstuantissimo die aufuit; et Carolus V. qui idem fecit in comitiis Augustanis ad confusionem Lutheranorum. Præ omnibus celebratur aula Theodosii junioris imper. qui instituit eam velut scholam in qua se suosque ad pietatem non secus ac in monasterio exercuit: *Habens ordine distributa tempore lectionum, psalorum, jejuniorum, et vigiliarum*, ait Socrates, I. VII. c. XII. et Theodoretus, I. V. c. XXXVI.

II. Humilitas, quam tribus argumentis commendabat Agathon magistratui, cum dixit debere eum meminisse trium; primo, quod imperet hominibus; secundo, quod secundum leges; tertio, quod non semper imperet, Stob. serm. XLIII. Quorum trium, nisi fallor moneatur quivis rex, Deut. XVII. his Dei verbis: *Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos: (en primum) neque declinet in partem dexteram, vel sinistram: (en secundum) ut longo tempore regnet (en tertium)*. Agnoscat ergo primo, se eorum, quibus imperat, similem ac fratrem esse, in quo stultissime erravit Caligula, qui pro Deo haberi voluit hac argumentatione: *Ovum pastor non est ovis, boum pastor non est bos, nec caprarum capra: ergo hominum pastor non est homo: quid ergo? Deus*. Ita vesanus ille homines faciebat pecora ut se faceret Deum, Philo, in lib. de legatione ad Caium. Rectius pii ac sapientes principes solent saltem interdum ad humilitatis opera se demittere, ut se homines agnoscant, subditis suis similes, eosque exemplo suo ædificent, uti fecit Josue, cum ad honorem Dei erexit in Jordane duodecim lapides, Jos. IV. et Constantinus Magnus imper. cum octavo die post baptismum susceptum deposito diademate, sumpto ligone ac bidente terram eruit, indeque duodecim terræ cophinis ad honorem duodecim apostolorum ablatis ac loco basilicæ principis apostolorum designato ecclesiam ædificavit, uti legit Ecclesia, 18. novemb. et Leo papa, cum in munienda urbe Ostiensi ipsemet laboravit, et suis manibus opus fecit, ut docet, to. IX. Baronius.

Secundo, agnoscat se a legibus nequaquam esse exemptum; sed juxta earum præscriptum



imperare ac vivere debere, quia est velut horologium civitatis: quod regulatissime debet ambulare, quia ab omnibus aspicitur, et ad ejus normam omnia componuntur. Sic enim dicitur Davidi a Bethsabee, III. Reg. II. *In te oculi respiciunt totius Israel.* Stupendum est, quod de Charonda Thuriorum et Diocle Syracusanorum legislatoribus scribit Diodorus Siculus, I. XI. qui cum legem tulissent, ne quis eum armis in forum et concionem prodiret, ipsi deinde ex oblivione armati processissent, ob hoc ab aliis redarguti quasi propriam violassent legem: *Minime hercle, aiebant, quin eas potius sanciam.* Itaque exertum gladium in jugulum suum adegerunt, sibi que vitam velut legis prævaricatoribus ademerunt.

Tertio, norit se non semper imperaturum, imo nec diu, si male imperet, ut expertus est Jeroboam, Baasa, Jehu, Nero, Julianus, Valens, Attila, alique præsertim hæretici. Sciat etiam sibi de ovibus suis reddendam coram Deo rationem; quemadmodum Jacob de ovibus suis dixit: *Ego damnum omne reddebam*, Gen. XXXI.

III. Prudentia, quæ in primis dicitur consilio uti prudentum, nec proprio capiti fidere in rebus gravioribus, juxta id Prov. III. *Ne innitaris prudentiæ tuæ: et infra: Ne sis sapiens apud temetipsum.* Plus enim vident oculi quam oculus; et sicut ad res obscuras ac subtiles cernendas adhibemus perspicillia; ita ad decernendas quæstiones præsertim graviores opera consiliariorum adhibenda; quod accurate faciebat Alexander Severus imp. qui nullam sanciebat legem nisi adhibitis jureconsultissimis; dicebat enim hoc pacto majestatem imperii fore diuturniorem ac securiorem, Lamprid. in ejus vita.

Secundo, munera prudenter et idoneis distribuere, ne alioqui dicatur, quod ait Sapiens, Eccles. X. *Est malum, quod vidi sub sole, positum stultum in dignitate sublimi.* Observant hoc accurate Turcarum imperatores et Sinensium, ut in muneribus distribuendis ad solam indolem et merita respiciant, gravissimo prius adhibito examine, non ad stirpes ita fit ut ad virtutem et præclara facinora generosæ mentes mire incenduntur. In vitis et reluctans danda esse publica officia, non ambientibus, volebat Alexander Severus imper. apud Alium Spart. **multo minus vœnalia facienda.** Dignitatibus homines, non hominibus dignitates quærendas ait Aeneas Sylvius.

Tertio, leges prudenter ferre et servandas inculcare. Sunt enim instar mœnium, continentes populum intra fines rationis. Et sicut gravem reatum incurreret, qui mœnia transiret aut perfoderet; ita multo magis puniendus,

qui legibus contemnit. Contemnitur etiam magis tratus cum ejus sanctiones triduo tantum observantur. Item si sint velut aranearum tela, quæ non retinent, nisi muscas parvulas, percurruntur a grandioribus.

IV. Justitia, quæ ab iis requiritur primo ut non quævis sibi licere existiment, sed iusta solum sed honesta. Antigonus rex dicente quodam, omnia regibus honesta justaque esse: *Sunt per Jovem, inquit, barbarorum duntaxat regibus! At nobis ea tantum honesta sunt, quæ honesta sunt; et ea tantum iusta, quæ iusta sunt.* Plut. in apoph. Hoc ipsum potiori jure persuarum sibi habeant rectores christiani; non esse se videlicet regulas justitiæ, sed ministros, adeoque nec posse omnia, quæ licent.

Secundo, ut jus dicant unicuique; ad hoc enim constituti sunt potissimum. Audient alioquin jure merito, quod audivit Philippus Macedo, qui tergiversans et diffidens causam audire cujusdam anus, quod otium sibi ad id negaret esse, responsum ab irata tulit: *Proinde rex quidem esse velis.* Plut. in apoph. reg. et imp.

Tertio, ut scelera plectant: alioquin ea faciunt sua, quemadmodum sapienter dixit quidam morio Ludovico undecimo Francorum regi, qui cum ad eum venisset homicida quidam veniam petens, rex facti enormitatem considerans, quodque jam tertio impune eadem commisisset: *Et quid, ait, tu rursus veniam postules? Jam tertium homicidium perpetrasti.* Id audiens regis morio: *Quid, inquit, Domine, tertium? Imo primum duntaxat est quod hic perpetravit, secundum et tertium tuum est: quia si primum non condonasses, reliqua non perpetrasset.* Cor. a Lap. in Jer. c. XLVIII. Talibus dicitur Jer. XLVIII. *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine.* Quare Ferdinandus Cæsar crebro sermone illud usurpabat: *Fiat justitia, aut pereat mundus.* Laur. Potest. in symb. imp.

V. Fortitudo. Sic enim dicitur Moysi, Exod. XVIII. a Jethro: *Provide de omni plebe viros potentes.* (Hebr. viros virtutis.) Primo, ut non patiantur se divelli ulla ratione ab æquo ac recto. Tales obtabat habere Fridericus imperator tertius: *Qui non magis me, aiebat, quam Deum timeant.* Talis initio fuit Baalam qui vocatus a rege Balaac et muneribus provocatus ut malediceret populo Israel, Deum potius audivit id prohibentem, quam Baalaac imperantem. Aiebat enim: *Si dederit mihi Balaac plenum demum auri et argenti, non potero immutare verbum Domini mei.* Num. XXII. Ac licet a rege varie tentaretur et ad tria diversa loca duceretur, adduci tamen non potuit ut malediceret. Narrat Herodotus, I. III. Val. Maximus, I. VI. c. III. præsidem Sisamnem, qui pecunia corruptus, injustam senten-

tiam tulerat, interfectum fuisse a Cambyse, et toti corpori cutem detractam, quam Cambyses instravit tribunali, et postea filium Sisamnis Otanem in ea sede collocavit, ac jussit eum inuentem patris exuvias juste judicare, ne simili supplicio afficeretur. Notent hæc, qui juris nodos, et legum ænigmata solvunt. Nam: (Juvenal. sat. VIII.)

Gens sine justitia, sine remige navis in unda est.

Secundo, ut subditos tueantur ac defendant. Peculiari cæremonia promittebant hoc Hungariæ reges, inaugurandi; ascendebant enim ad Albam regalem in altissimam turrim et quam maxime poterant, protenso extra turrim brachio, ad quatuor mundi partes nudatum ensem porrigebant, quasi undique regnum tutaturi. Refert Petrus Bizarus, histor. Genuensis, I. XXIII.

Tertio, ut sint ambidextri ad instar illius Aod judicis, Judic. III. qui neque adversis rebus frangantur, neque secundis extollantur; et tales regno dignos dicebat Sigismundus imperator. Non dejiciantur ob subditorum querelas, murmuraciones, repugnantiam, non extollantur eorum laude vel assentatione.

VI. Mansuetudo et affabilitas, qua faciles unicuique aditus et aures præbeant; a qua laude celebris fuit imprimis tribunus ille Romanus agens Jerosolymis qui nepotem Pauli vincit ad se missum, manu apprehendit magna que comitate seorsum audit, atque ex ejus indicio Paulum stipatum militibus, ut ab insidiis Judæorum liberaret, Cæsaream ad præsidem misit, Act. XXIII. Deinde, Cæsar Augustus, qui in audientia perstabat usque ad noctem etiam sub porticibus, lectica etiam utens pro tribunali, si parum corpore valeret, vel etiam domi cubans. Idem alicui libellum supplicem timide sibi porrigenti per jocum dicebat: *Num elephantis stipem porrigis?* Refert Sueton. in ejus vita, c. XXXIII. et LXXII. Post hunc Vespasianus, qui dicebat: *Non oportet quemquam a Cæsare tristem discedere.* Sueton. in ejus vita. Filius ejus Titus tam erga omnes comis et beneficus fuit, ut non permitteret quemquam a se minus voti compotem factum tristem abire, Sueton. apud Baron. anno 81. Inter Christianos illustris est in primis Gratianus imperator de quo Ausonius: *Laudabile est imperatorem interpellantibus faciles præbere aditus, nec de occupatione causari. Tu confirmas adhuc cunctantes, et querimonias explicatis, ne quid adhuc sileatur, interrogas.* Deinde, S. Joannes eleemosynarius episcopus Alexandrinus, qui duobus in hebdomade diebus considebat in porticibus templi, omnium querelas audiens. Dicebat enim: *Si nobis qui homines sumus, licet ad Deum accedere absque ullo intercessore, quomodo*

non etiam id liceat conservis nostris ad nos? Baron. anno 610. Et S. Ambrosius, qui ut scribit S. Augustinus, lib. VI. confess. cap. III. id expertus, neminem vetuit ad se ingredi, nec venientes nuntiare sibi jussit. E contra jure merito carptus fuit Lygdamis tyrannus a legatis Lacedæmoniis, qui cum ab eo, infirmitatem obtendente differrentur a colloquio, responderunt: *Per Jovem, non venimus huc cum illo luctaturi, sed collocaturi.* Plut. in Lacon. Tarquinius ultimus inter septem primos Rom. reges ingrattissimus adversus socerum fuit, proditor patriæ, et Lucretiæ violator, et tamen non ingratus, non proditor, non adulter, sed Tarquinius superbus fuit cognominatus, ob solam morum asperitatem. Julius Cæsar ultimus dictator, et primus imperator, cum laudabilis esset consuetudo, ut imperatorem senatores genibus nixi salutarent, et imperator ipsis habita dignitatis cujusque ratione assurgeret, quoniam per arrogantiam illum servare noluit, viginti tres vulneribus confossus vitam perdidit. Sicut medici paululo rhabbarbaro multos expurgant humores corporis, sic minima principis benevolentia plurimas tollit ex cordibus subditorum vomices, Princeps catenas auferens a pedibus victorum, cordibus eas injicit subditorum, Tymp. in spec. magistr. sig. VII.

Atque hæc sunt, auditores, vasa et instrumenta pastoris christian. Pastorem decet rosarium, quo ruri degens suas fundere preces queat; et hæc est pietas ac religio in magistratu christiano. Pastor opus habet ocreis, quibus paludosas ac lutosas vias pervadere non dubitet; et hæc sunt in magistratu humilitas et legum quas alijs præscribit observantia, ut non dubitet eo et ipse ambulare, quo alios impellit. Pastor indiget pera; et hæc est rectoris prudentia, e qua depromat bona et sana consilia, leges salutares, æquas munerum distributiones, etc. Pastori congruit baculus; et hic, quid nisi justitia est, magistratui tam necessaria, quam pastori baculus, scriptori calamus? Pastor eget cane grandi et robusto ad custodiendum gregem et a lupis defendendum; et hic in magistratu est fortitudo et vigilantia. Denique, pastores habent fere tibias, quibus inflatis demulcent greges; et quid istæ nisi comitas et mansuetudo magistratus? Hæc sunt vasa non pastoris stulti, sed sani et sapientis; quæ quisquis habuerit, næ is coram Deo aliquando dicere poterit: *Ego sum pastor bonus; et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* 1. Pet. V.



## CONCIO IV.

DE OBSERVANTIA, QUA COLENDI SUNT SACERDOTES, MAGISTRATUS, SENES.

- I. Sacerdotes : 1. Honorandi. 2. Monentes audiendi. 3. Non detrahendum illis. 4. Manus eis non injiciendæ. 5. Non violanda eorum immunitas. — II. Magistratus civiles : 1. Honorandi. 2. Audiendi. 3. Nihil indecori coram eis faciendum. 4. Non eis detrahendum. — III. Senes : 1. Honorandi. 2. Consulendi et in magistratum legendi. 3. Eximendi a communibus operibus. 4. Emeriti alendi. 5. Calumniis aut injuriis non appetendi.

## THEMA.

*Cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ.* Joan. X.

Non absque arcano consilio dedit Deus populo Hebræorum primum regem talem, qui ab humero et sursum eminebat super omnem populum, ut habetur, 1. Reg. IX. Is vero erat Saul. Volebat enim regem ita esse conspicuum, ut ab omnibus agnosceretur et observaretur. Idipsum omnino cernere est in politia apum, humanarum politiarum speculo. Habent enim regem egregia forma et duplo cæteris grandiosem; huic incessus celsior et in fronte macula, quasi diademate quodam candicans. Eo extincto perturbantur omnia, ut scribit Ælianus, lib. V. c. XI. et funditus pervertuntur, fuci in apum cellis pariunt atque ita miscentur, ut examen omnino deterius habeat; denique regis defectione atque inopia pereunt. Tanti nimirum refert magistratum habere, eumque agnoscere, colere et observare; id quod etiam insinuavit Dominus in hodierno evangelio cum dixit: *Cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ.* Habere autem regem vel magistratum, et non observare, non habere est. Hinc omnia perturbantur, jura perrumpuntur, corrumpitur disciplina et ipsa tantem respublica.

Porro tria potissimum genera hominum sunt, quibus respublicæ gubernantur, sacerdotes, magistratus civiles, et senes: (taceo parentes, dominos, præceptores, de quibus alibi) nunc de illorum observantia dicendum.

I. Honorandi sunt Ecclesiæ prælati et sacerdotes cæterique clerici, propter Deum, cui placent eos cultui suo præficere et cooperatores habere in animarum sanctificatione, regimine et profectione ad vitam æternam. Ipsi sunt laicorum patres, dum gignunt eos per baptismum: nutritii, dum alunt sacramentis: medici, dum curant eorum vulnera: magistri, dum instruunt: defensores dum tuentur precibus et sacrificiis: denique nobiles, et aulici Dei, signati caractere ordinis; ideoque in processibus immediate præcedunt eucharistiam, sicut aulici principem, plebe subsequente.

Itaque primo, iis assurge reverenter, caput aperi, munus præsertim suum obeuntibus. Si simul cum iis incedendum sit, sequere, non præcedere. Ne sedeas facile iis stantibus, nisi te excuset dignitas, aut corporis imbecillitas. Ad hæc nomine honorifico compellere eos memento. Certe in Concilio Matisconensi, quod secundum est dictum et generale, can. XV. statutum fuit, ut clerico pedestri, eques obvians sæcularis, ad terram desiliret, apud Bar. anno 588. Quod si ejusmodi honores laicis paulo insignioribus, vel principum aulicis exhibemus, cur non magis Dei ministris?

Secundo, monentes et arguentes audi, juxta id Domini, Luc. X. *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit*, q. d. qui vos non audit, spernit vos; quod teste D. Basilio, in constit. monast. c. XXIII. Cyprian. ep. LXIX. ad Florent. omnibus apostolorum posteris, populi rectoribus dictum intelligendum est. Ita Dominus de ovibus dicit in hod. evangelio: *Vocem meam audient.* Quamdiu ergo quis ovis est sui pastoris, tamdiu vocem ejus audire debet, licet is sit malus. Unde Basilius imp. in plena Synodo ad laicos perorans dixit: «Quantæcumque religionis et sapientiæ laicus existat, ovis vocari non desinet: rursus quantumcumque episcopus sit irreverentia plenus, et nudus omni virtute, donec antistes est, et veritatis verbum recte prædicaverit, pastoris nominationis et dignitatis damna non patitur, etc.» apud Bar. anno 869. Quod si edicta laici magistratus contraria sint ecclesiasticis, istis potius obtemperandum (nisi grave inde damnum tibi proveniat) quia sicut motus cæli superioris prævalet motui inferioris, et sicut mentes corporibus, æterna temporalibus: ita lex superioris magistratus præponderat legi inferioris.

Tertio, cave illis detrudere. Propterea, Lev. IV. præcepit Deus vitulum pro peccato sacerdotis immolatum, efferri extra castra, et cremari in loco mundo, ut moneret non licere peccata sacerdotum in publicum jactare, neque in locum immundum, id est, in detractorum conventicula, linguas et aures, sed tacenda esse; eorumque reliquias seu defectus igne charitatis absumentas ac perpetuo silentio contegendas, ne quid remaneat, quod in exemplum trahi possit. Sic Constantinus Magnus cum aliquot altercationum libellos accepisset a sacerdotibus in Conc. Nicæno, nequaquam eos legit, sed combussit: *Nam sacerdotum, ait, vitia non sunt populo aperienda, ne is inde casu offensivum acceptum licenter peccare aggrediatur.* Idem etiam dicebat, si sacerdotem flagitiose aliquid patrantem cerneret, se purpura sua eum confecturum, Theod. I. I. c. XI. Dalmatium Ruthenæ civitatis

episcopum cum quidam presbyter in convivio probrose fatuum et delirum appellasset, repente mortuus concidit. Refert Greg. Tur. I. V. hist. Fr. c. XLVI.

Quarto, multo magis abstinere a manuum injectione juxta id Psalmi CIV. *Nolite tangere christos meos.* Si enim capitale est violentas manus injicere in ministros laici magistratus, quanto magis in ministros Ecclesiæ Dei? *Quis extendat manum suam in christum Domini,* ait David, I. Reg. XXVI. *et innocens erit?* Unde merito talem anathemate ferit Ecclesia, c. XVII. q. IV. can. *Si quis suadente.* Extenderat manum Jeroboam rex contra prophetam Domini, jubens eum apprehendi; sed statim exaruit manus ejus, III. Reg. XIII. Ozias minabatur tantum Azariæ, et aliis sacerdotibus se increpantibus, et mox factus est leprosus, II. Par. XXVI. Audiamus exempla alia probata ex card. Bar. anno 380. Dum S. Ambrosius episcopus Medionali sederet in sua cathedra, una de virginibus Arianorum tribunal conscendens apprehenso vestimento sacerdotis, cum illum attrahere vellet ad partem mulierum ut ab ipsis cæsus, de Ecclesia pelleretur, audivit (ut ipse solitus erat referre): «Et si ego indignus tanto sacerdotio sum, tamen te non convenit, vel professionem tuam, in qualemcumque sacerdotem manus injicere, debes vereri Dei judicium, ne tibi aliquid eveniat.» Quod dictum, exitus comprobavit; nam alio die mortuam ad sepulcrum usque deduxit, gratiam pro contumelia rependens. Hoc factum non levem adversariis incussit metum, pacemque magnum Ecclesiæ catholicæ tribuit. Eundem Ambrosium improbus Macedonius, fautor hæreticorum exclusit aliquando a prætorii ingressu; ideo et ipse post confugiens ad Ecclesiam, aditum reperire non potuit, licet apertis januis. Rursum Euthymius quidam, domo in proximo conducta, et parato curru attendit per annum integrum, ut Ambrosium abreptum (instigante Justina Imperatrice Ariana) abduceret in exilium. Sed divino factum judicio, ut anno evoluta ipse eodem curru deportaretur in exilium, Alexandro eum viatico prosequente. Refert Paulinus, in ejus vita, apud Bar. anno 380. et 381. et 387.

Quinto, neque immunitatem eorum quovis modo violato. Nullum enim jus est laico in clericum; sed magistratui tantum ecclesiastico, quemadmodum id Timotheo episcopo tribuit apostolus, I. Tim. V. Hanc immunitatem clericorum Ludovico Crasso Gallie regi passim infringenti, severe pronuntiavit S. Bernar. *Scito rex fore ut in vindictam hujus delicti tui moriatur non ita multo post Philippus tuus, quem tibi in successorem delegisti.* Prædictioni respondit eventus; paulo enim post equitante Philippo

Lutetiæ per vicum S. Antonii, equi pedes incurrit porcus, unde equus territus in pavimentum excussit sessorem suum et resupinus in eum corruit, adeoque terræ eum illisit, ut nocte proxima mortuus sit, Bellefor. in Philippo.

II. Honorandi sunt administratores reip. civilis. Quia et ipsi patres sunt subditorum, ideo apud Romanos. *Patres conscripti* dicti, (quod eorum nomina aures litteris conscriberentur) et Deum representant, cujus sunt ministri, quamvis forte inter ipsos aliqui mali audiant, juxta id, I. Petr. II. *Regem honorificate: servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis, hoc est, pravis, asperis, morosis.* Eundem honorem exhibemus cruci, sive ea ex auro, sive ex ære, sive ex ligno sit fabricata; non enim ad materiam, sed ad figuram attendimus. Ita honorandus est, qui legitime præest, licet non aureos habeat mores, sed ligneos, gehenna dignos. Amasis rex Ægypti, ut refert Herodotus, I. II. cum se ab Ægyptiis, quod obscuro loco natus esset, non magni fieri adverteret, pelvim auream, in qua ipse et convivæ pedes abluere solebant, conflare in simulacrum alienius dei fecit, et populo adorandum proposuit, quod is non difficile fecit. Tum convocato populo dixit ex abjecta illa pelvi fabricatum esse idolum, seque ei similem esse, qui ex obscuris natalibus in regiam sit evector: proinde si jam non dubitant adorare deum illum, qui ex vili pelvi prodiit, nihil etiam causæ esse, cur sibi honorem debitum negent ad regiam evectoro. *Hunc in modum,* ait Herodotus, *ad se traduxit Ægyptios, ita ut æquum censerent ei servire.* Quis rege Saul in Davidem iniquior, nihil tamen ideo remisit David de consueta sua in illum observantia. Quare gubernator etsi pelvis quædam sordibus plena sit, quia tamen auctoritatem gerit hac ex parte, nihilominus honorandus est.

Primo, itaque honora magistratum tuum cultu externo, assurgendo, aperiendo caput, honorifice alloquendo. Hæc enim est ejus merces, ut scribit Aristoteles, lib. V. eth. pro cura et sollicitudine sua cæterisque officiis in remp. cui attendit, privatis rebus suis posthabitis. Hoc attendentes Romani juvenes, ipso senatus die senatores ad curiam honorifice deducebant, affixique valvis expectabant, donec reducendi officio etiam fungerentur, teste Val. Max. I. II. c. I. P. Æmilius tametsi patre carbonario natus, ubi ad consulatum evectorus est, advertitque sibi publice incedenti non assurrexisse Decium prætorem, vestem et sellam ejus mox in frustra concidit, et jurisdictionem ei abstulit, Plin. lib. II. de viris illustribus. Tanti nimirum erat magistratus apud Romanos! Quare qui in publica dignitate cons-